



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Aprilem, Majum, Junium

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 20. De mortificationis necessitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60514)

sint humiliores. Demittere se debent, dum *junius.*
considerant, suum statum opponi vitæ, &
statui Dei pauperis, & humilis, suamque
elevationem, quod consequens est, ma-
gnam sibi præbere sui demittendi ansam;
cùm illa non modico ipsis sit obstaculo,
quò minùs Christo similes fiant, salutem-
que suam in tuto collocent.

*Pete à Christo Domino, ut te admirabilem
hanc doctrinam doceat, cùm is solus ejusdem sit
magister.*

Nisi conversi fueritis, & efficiamini, si-
cut parvuli, non intrabitis in Regnum Cæ-
lorum. *Matth. 18. 3.*

Quantumcunque te dejeceris, humilior
Christo non eris. *Hieron. Epist. 6.*

DIES XX.

De Mortificationis Necessi- tate.

I.

Salutem æternam consequi non possu-
mus, si Christiani non sumus, nec esse
Christiani possumus, si sacro fonte non su-
mus abluti, eo verò ablui non possumus,
quin ad sensus, cunctosque animi motus,
atque inordinatas inclinationes nostras
com-

*Quicunque
baptizati
sumus, in
morte ipsius
baptizati
sumus: con-
sepulti en-
sumus cum*

R 2

com-

Junius.

illo per Ba-
ptismum in
mortem.

Rom. 8. 3.

comprimendas ita obligemur, ut hoc munere nos eximere nemo possit. Baptismus juxta Divi Pauli doctrinam est imago quædam mortis, & sepulturæ Christi Domini, qui nos ab eo tempore ad nobismet ipsis, & peccato moriendum, nosque penitus vivos cum Christo sepeliendos obstringit. Imò juxta Apostolum hoc Sacramentum vitæ, mortis quoddam Sacramentum est, atque cunabulorum juxta, ac tumbæ tener locum; dumque vitam gratiæ nobis tribuit, ad moriendum vitæ voluptariæ, naturæque corruptæ nos obligat. Atque hoc sat nobis indicatur omnibus illis ritibus, qui in conferendo Baptismo adhibentur.

II. Quid sibi volunt renuntiationes adeò solennes, quas illi, qui nos è sacro fonte suscepere pronuntiârunt eo tempore, quo nos dictorum rituum obligationes cognoscere non poteramus? sed nos ijs nos subijcere, easque ratas habere debuimus, ut primum ætatem prudentiæ capacem attingimus. An non hoc est se obligare ad vitam in continua impotentium animi morum compressione transigendam? tunc temporis ad pedem Altaris, in conspectu cæli, & terræ affirmâsti, te mundo, & ejus pompis, Diabolo, & ejus operibus, carni,
&

& ejus voluptatibus renuntiare. *Credis- junius.*
ne igitur, has meras esse ceremonias, quæ
nos ad nihil obstringant? hæc est promif-
fio quædam solennis Deo facta, qua minùs,
quàm quibusvis alijs votis solvi possumus.
Cedo; an non hæc est obligatio in perpetua
quadam sui victoria vivendi? quid enim est
mundo, ejusque pompis renuntiare, nisi
se obstringere ad subjugandum perpetim
hunc mentis affectum, quo in vanos ho-
nores, & mundi pompas ferimur? quid est
carni, ejusque illecebris renuntiare, nisi se
obligare ad carnem suam, ejusdemque cu-
piditates cruci affigendas? ad reprimen-
das sensuum suorum immoderationes, si-
bi que voluptatum sive sceleratarum, sive
periculosarum usu interdicens? an non
hoc est exercitium mortificationis Christia-
næ?

III. Libenter nos subijcimus pænis, ad
quas nos fortuna, ambitio, & omnes aliæ
nostræ cupiditates alliciunt; ubi agitur de
ijs satiandis, omnia nobis facilia accidunt.
Sed Eheu! quis est ille, qui subijcere se ve-
lit mortificationibus, ad quas dignitas
Christiana, eique annexa munera nos ob-
stringunt? omnia tunc difficillima, imò &
impossibilia videntur, quis est ex illis e-
tiam, qui vitam agere valdè probam cre-


Iunius

duntur, qui impotentes suas propensiones subigere efficaciter conerur? qui hanc superbiam, hanc ambitionem, præservidam hanc animi commotionem, hunc ad mundi bona, & delicias affectum, hanc ad oblectamenta sua adhæſionem vincere nitatur? quis etiam est illorum, qui exactiorem pietatem profitentur, qui affectui dominanti penitus exterminando se impendat? In hoc tamen vera ſanctitas veratur, quia includit obligationes Chriſtianismi naturæ inſitas. Omnes religionis actus, qui huc non tendunt, nugæ ſunt, & veræ deceptiones. An non hactenus ijsdem ſuiti deditus?

Revoca nonnihil in mentem obligationes Baptismi tui, & renuntiationes, quas in eo feciſti, ut confundare, ubi videris, te ijs tam parum ſatisfecisse.

Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam Crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis. *Galat. 5. 24.*

Te Vince, & mundus eſt victus. *Aug. Serm. 5.*



DIES